Fragmentarium

Debita erat nrae, quod si inmatura manebat
Mors gnatum caesis uolscorum milibus ante
Ducentem in latium teucros cecidisse iuuabit,
Quin ego non alio digner te funere palla
Quam pius aeneas et quam magni phryges et quam
Tyrrhenique duces tyrrhenum exercitus omnis.
Magna tropea ferunt quos dat tua dextera leto;
Tu quoque nunc stares immanis truncus in armis
Esset par etas et idem si robur ab annis
Turne; sed infelix teucros quid demoror armis.
Vadite et haec memores regi mandata referte;
Quod uitam moror inuisam pallante perempto
Dextera causa tua est; turnum gnatoque patrique
Quam debere uides meritis uacat hic tibi solus
Fortunaeque locus non uitae gaudia quaero;
Nec fas sed gnato manis perferre sub imos.
Aurora interea miseris mortalibus almam
Extulerat lucem referens opera atque labores;
Iam pater aeneas iam curuo in litore tarchon
Constituere pyras; huc corpora quisque suorum
More tulere patrum subiectisque ignibus atris
Conditur in tenebras altum caligine caelum.
Ter circum accensos cincti fulgentibus armis
Decurrere rogos ter maestum funeris ignem
Lustrauere in equis ululatusque ore dedere.
Spargitur et tellus lacrimis sparguntur et arma.
It caelo clamorque uirum clangorque tubarum.
Hinc alii spolia occisis derepta latinis
Coniciunt igni galeas ensesque decoros
Frenaque feruentisque rotas; pars munera nota

Saec. IX. — Vergilius Turonensis. Minuscule carolingienne.
Berne, Stadtbibliothek, Ms. 165, fol. 192

License: public_domain – Various Locations, Generic Collection, , Planche 55 – Franz Steffens, La Paléographie Latine (https://fragmentarium.ms/view/page/F-2fh6/7408/59569)